

8K  
224

OK 224. 8

Ye  
3472

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
GEORGIVS RVDOLPHVS  
BOEHMERVS

PHIL. ET MED. DOCTOR THERAP. PROF. PVBL.  
FACVLT. MEDIC. ET TOTIVS ACAD. SENIOR  
PHYS. PROV. SOCIET. OECON. LIPS.  
MEMBR. HONOR.

O R A T I O N E M

A B

ANTONIO HARTMANN

BOHEM. MED. STUDIOS.

IN

MEMORIAM BENEFICII VATERIANI

D. XVIII NOVEMBRIS

H. L. Q. C.

HABENDAM

CIVIBVS ACADEMICIS

INDICIT

OK 226.



1797

1797

RECTOR  
ACADEMIAE VITTEBERGENSIS  
GEORGIVS RYDOLPHVS  
BOEHMERVS

PHIL. ET MED. DOCTOR THERRAP. ERON. PABRI  
FACULT. MEDIC. ET TOTVS ACAD. SENIOR  
PHYS. ERON. SOCIET. OECOM. LIBS.  
MEMBR. HONOR.

O E L T O N E M



ANTO T MAN Y

MEMORIAM BENEFICII VITTEBERGENSIS



CIVIBVS ACADEMICIS

1797

1797





DE INCREMENTIS  
ACADEMIAE WITTEBERGENSIS  
EX  
LIBERALITATE MEDICORVM

**Q**uam pulchrior Medicinae hodiernae facies Wittebergensium  
doctorum operae debeat, nuperrime in Oratione Inaugu-  
rali, cuius adhuc iucunde reminiscimur, *Experientiss.* LEON-  
HARDI *noster*, Collega coniunctissimus, eleganter atque di-  
serte exposuit sic, vt DANIELEM praecipue SENNERTVM  
cum ipso B. Luthero comparans, tanquam Medicinae, a fal-



sis Galenicorum atque Paracelsistarum dogmatibus tum vehe-  
 menter corruptae strenuum Reformatorem, felicissimumque  
 Repurgatorem depingeret, praetereaque, quantum debeat *do-*  
*ctrina anatomica* SCHNEIDERIS ac VATERIS, aut *res botanica*  
 his aequae atque HEVCHERIS cum BOEHMERO nostro, aut  
*Medicina Practica* STENZELIIS, aut *elegantior medicina* cum b.  
 LANGGVTHIO, TRILLERIS explicite commemoraret. Non  
 solum vero propter tantorum Virorum insignem in arte salu-  
 tari doctrinam ac eruditionem summam academiae nostrae  
 famam illustrem esse factam constat, verum etiam extiterunt  
 inter Medicos alii, qui, quae excellens est animi generosi  
 virtus, atque homine cum primis digna, liberalitate sua ac  
 donis gratuitis florentes academiae nostrae res multum au-  
 gerent, eiusque felicitatem multiplicarent. Quemadmodum  
 vero laudabiliter patrum facinorum publicae concelebra-  
 tiones plurimum in se habent commendationis, multumque  
 solent alios saepe ad imitandum stimulare, ita in spem quo-  
 que futuri me operae pretium facturum esse duxi, si, primum  
 iam oblata huius descriptionis occasione, summatim expone-  
 rem, *quantum e Medicorum liberalitate haec nostra increuerit litte-*  
*rarum vniuersitas*, horumque meritissimorum Virorum pariter  
 ac foeminarum, vt par est, memoriam grate sic recolerem,  
 In his igitur primum mihi excitandus est MARTINVS POLICHIVS  
*Franco-Mellerstadiensis Medicus* atque Comes Electoris Optimi  
 Friderici Sapientis b. m. in itinere sacro Hierosolymitano.  
 Magnus nimirum ille vir, cum ab Imperatore Maximiliano  
 I. communibus reliquorum in comitiis Wormaciensibus suf-  
 fragiis decretum esset, vt quisque Electorum academiam in  
 suo electoratu institueret, instantissimis suis precibus, quae  
 magna profecto fuit eius erga Wittebergam nostram liberali-  
 tas, tandem ab Eo paululum antea refragante impetrauit, vt  
 vel ipsam vere, vel heic etiam loci fundaret. Quae postquam  
 erant



erant facta, partim liberaliter idem ille quoque primum Re-  
ctoris academiae munere non sine numeroſo eius incremen-  
to, (ſiquidem 416. tunc prima vice inſcripti ſunt,) perfunctus  
eſt, partim etiam reliqua, quae ad ſenatum academicum, di-  
ſciplinam, inſtitutionem, et alia pertinebant, ſapienter diſ-  
poſuit.

Extat praeterea aliud Polichianae liberalitatis, qua etiam-  
num gaudemus, monimentum; ſiquidem a VALENTINO quo-  
dam POLICHIO, *Martini* prout videtur fratre, cuius etiam  
inter primos ab eo inſcriptos in prima Matricula mentio fit,  
1000 floreni legati ſunt ita, vt 50, qui ex uſuris veniunt,  
quotannis vni e familia *P-lichiorum*, aut ſi talis forte non exi-  
ſteret, alii tunc actu in hac academia ſtudenti exſoluantur;  
cuius conferendi ſtipendii ex mente teſtatoris poteſtas tam  
penes Academiae Proceres eſt, quam quendam gentis Poli-  
chianae Seniore.

Neque minus dignus omnino videtur, qui ob liberali-  
tatem quandam erga academiam noſtram extollatur quidam  
VITVS ORTELIVS *Winshemius*, qui a medio tunc Saeculi vs-  
que ad annum 1570. tanquam Philoſ. et Medic. Doct. nec  
non Graecarum litterarum Prof. heic floruit, quique aliqua  
librorum ſupellectile Bibliothecam academicam locupleta-  
uit, atque in genere de hac academia optime meritus eſſe in  
epitaphio ſuo, quod adhuc cernitur in Templo Parochiali,  
dicitur.

Excipit hunc Medicus alius, quamuis non academicus,  
erga eos tamen, qui in academia diſcendi gratia verſantur, li-  
beralis prorsus ac propenſae voluntatis, IOHANNES NEEFE,  
Medicinae Doctor et Archiater electoralis quondam probatiſ-  
ſimus. Quantum huius Viri munificentia academia noſtra  
A 3 ceperit



ceperit incrementi, ex eo confirmatur, quod anno 1570. summam 2000 florenorum in studiosae iuuentutis commodum consecrauerit. Non solum enim 26 et quod excurrit Imperiales quatuor aut ex eius descendentibus, si qui adsunt, aut aliis per singulos quatuor annos cedere debent, verum etiam tanta fuit postea huius *Beneficii Neesiani* facta augmentatio, vt ab anno 1665. duobus aliis pariter quotannis 50 Imperiales pendantur. Ex illis vero, qui praefecti sunt conferendis ac distribuendis his stipendiis stirpis Neesianae Senioribus, alter apud Frankenbergenses Consultissimus Caussarum Patronus, alter apud Dresdenses Medicinae Doctor Experientissimus iam dum superstites florent.

In illis vero qui artis praecipue Salutaris Cultorum studiis et fauerunt, et liberaliter prospexerunt, primus omnium MARCVS BANZERVVS Medicus et Professor Sui temporis incomparabilis, nec non Facultatis Suae Senior emeritus, grate nominandus est. Ille 21. Imperiales, quot scilicet redeunt vsurarum ex summa pecuniae 500 florenorum, quam constituerat vi testamenti ad annum 1664. scripti, per tres singulos annos, nec vltra tamen, Medicinae studioso exsoluendos sanciuit. Non multum autem abhinc facta apud eos, quibus concredita erat haec pecuniae vis, bonorum confusione, quorum adhuc sub iudice lis est, haec benefica exsolutio aliquantum cessauit.

Nec defuerunt postea, quamuis paulo longiori interuallo interiecto annorum scilicet seriem si spectes, qui rem praefertim medicam propius adspicientes, vel ipsis prouehundis, vel academiae incremento operam nauarent strenuam. Erat scilicet circa annum 1685. prout relatum legimus, et hortus medicus cum auditorio publico admodum neglectus ac deuastatus,



uassatus, et camera anatomica valde obscura ac ruinae proxima. Extitit tunc Celeberrimus IOH. THIELE, Medic. Doct. Anat. et Botan. Prof. Publ. Sereniss. Seruest. Anhalt. Archiater, qui tunc temporis Academiae Rector hanc in luculentioris Theatri formam redigere, illum vero melius instruere atque reparare *non sine taedio propriisque impensis* allaborauit.

Quemadmodum vero, si quando, hoc nostro praesertim aeuo historiae naturalis scientia bene multos eosque diligentissimos habuit cultores, vt vel ideo, quoad rei litterariae fata non male possis vniuersum hoc saeculum nostrum *physicum* denominare, ita viri etiam medici liberales praesto adfuerunt, qui, vt idem in Academia nostra serueret studium, non commendarent solum, verum etiam generosissime prouerent. Tam beneficae liberalitatis documentum, quo haud parum incrementi cepit Academia nostra, exhibuit quondam IOH. HENR. Nobil. de HEVCHER, Consiliarius Aulicus atque Archiater regius, insigne inter Medicinae Professores nostros ornamentum. Primo enim Magnus Ille Vir, qui dignus omnino est, vt nunquam eius grata excidat ex animis nostris memoria, non solum nouis prouentibus, variisque rarioribus atque exoticis plantis hortum medicum botanicum propriis impensis instruxit, verum etiam annuae pensionis 100 loachimicorum, qua munificentissime exornatus fuerat, mox dimidiam partem, neque multo post totam eius summam in futuros horti vsus sponte cessit. Tanta huius Viri liberalitate factum est, vt modo dicta 100 Vallengium summa sumptibus in hortum nostrum impendendis in posterum etiam destinaretur, quae etiamnum e Praefectura Electorali scholae Prouincialis Portensis exsoluitur. Deinde cum abhinc iam Ille Dresdam esset conuocatus, prout multum apud Potentissimum Regem et aulae regiae Magnates valebat gratia, singulari adhuc dum



tum erga academiam nostram amore affectus, tantum effecit instantibus precibus suis, vt e Cimmeliarchio regio curiosorum praeparatorum anatomicorum, rariorum praesertim tunc quorundam a *Celeber. Ruyschio* confectorum apparatus huc transferretur, vt vel propterea Eum partim tanquam hortibotanicus Wittebergenensis Restauratorem, partim tanquam musei anatomici, quod inde apud nos floret, primum Institutorem ac Fundatorem iure meritoque aestimare debeamus.

Est vero non solum nouissimis temporibus nostris, ante hos octo circiter et quod excurrit annos, communibus Patrum Academiae Conscriptorum suffragiis hocce museum in alium commodiorem, tutiorem, excelsiorem, et clariorem locum delatum, vt ab humiditate flammaramque iniuriis magis immunia vindicarentur, quae tunc inibi asseruabantur praeparata, verum aliis etiam nouis cimeliis, praecipue naturae curiosis bene multis auctum sic, vt ab eo tempore hoc Cimmeliarchium nostrum non male possis *Museum Anatomicum et Naturae Curiosorum* appellare.

Eiusmodi noui nempe in ipsa turri templi academici conclauis exstruendi occasionem suppeditauerant largissima munera, quae Dresda ad nos deportabantur, quaeque nostra facta erant ex liberalitate omni laude superiori Doctissimi Experientissimique D. SAMVELIS KRETZSCHMARI, Medici quondam Aulici et Physici Prouincialis Dresdensis, Viri de academia nostra immortaliter meriti. Praeterea enim quod Bibliothecam nostram nongentis libris, historiam naturalem maximam partem spectantibus, in quibus splendidissima praecipue Opera Botanica sunt, quorum magna inibi antea erat penuria, neque minus Numophylacium, quod eidem insertum est, rarioribus aliquot Veterum numismatibus locupletauerat, partim fossilium, lapidum, ac mineralium egregia suppellectile,





pellecile, partim insectorum nitidissima collectione, partim denique herbario quodam viuo XX Vol. nec non aliis quibusdam naturae curiosis hocce *Φυσιοταμειον* nostrum exornauit; quantumque e binis schedulis, quae dicuntur *crediti cameralis*, 200 Vallengium, vsurarum veniunt, pro commodiore harum omnium rerum conseruatione, ac si fieri aliquando possit, multiplicatione Idem Ille simul legauit.

Par est praeter haec, vt laeti gratique exsultemus, quod nobis contigerit esse tam felicibus, adeo liberaliter ac beneuole erga nos affectum Patronum adhuc superstitem colere in *Illustri atque Experientissimo* D. IOH. GVILIELM. FRID. IAHN, Consiliar. Aulic. atque Sereniss Elector. Archiatro Primario, cuius non vulgare prostat erga nos etiamnum liberalis munificentiae monumentum. Huius Ille cum academia, tum rerum praecipue medicarum superiori maxime funesto bello factas euerfiones, deploratissimamque deuastationem miseratus, bono cum Socro suo, honestissimo mercatore GREGORI Dresdensi, ab aeris summa quadam alii concredita suapte sponte sese abdicauit, et ordini medico cessit eo consilio, vt magis proueretur studium anatomicum. Sub lite maxime tunc intricata erat tanta pecuniae vis, quae postquam feliciter confecta est, detractis detrahendis portio 400 circiter tetradrachmorum nobis fuit residua, cuius de vsuris adauctis nuperrime comparauit in vsum Theatri anatomici aequae ac studii chirurgici nitidissimorum instrumentorum anatomicorum et chirurgicorum apparatus Facultas medica, de qua maxime utili ac frugifera accessione nobiscum artis nostrae focii publicas hic persoluunt meritissimo Euergetae gratias.

Neque denique est in viris medicis de academiae nostrae incremento ex liberalitate sua etiamnum claris silentio praeter eundus Experientiss. D. MATTHIAS TEMLIN, ciuitatis huius



quondam Medicinae Practicus felicissimus, qui, vt ipse erat ex Hungaria ortus, ita popularibus suis Inuariatæ Augustanae Confessione addictis, atque hic loci studiosorum gratia commorantibus, ex 400 siclis, quos Ipse legauerat, annuam pensionem perfoluendam per testamentum constituit.

Nec caruit academia nostra honestissimis matronis aut medicis, aut salutiferae arti nostrae praecipue fauentibus, quae ad illustre eius incrementum largis suis donationibus liberalem quoque Symbolam contulerunt, in quibus tres praecipue eminent. Prima earum fuit *IUSTINA SIGISMUNDA*, Lucinae olim ministra in aula regia Borusso-Brandenburgica, quae, quod mireris, suasu et autoritate ecclesiae cuiusdam ministri Berolinensis summam 1000 Imperialium academiae nostrae pro stipendio largita est sic, vt ex voluntate B. Legatricis annuorum redituum maxima cuidam Theologiae studioso a Rectore Magnifico et quatuor Theologiae Professoribus conferrentur.

Alterum, eumque facile principem locum inter liberalissimas hasce erga academiam nostram matronas occupat b. *CHRISTINA MARIA* Celebert. quondam *ABRAHAMI VATERI*, Med. Doct. eiusdemque Profess. in hac litterarum vniuersitate Primarii, *vidua*, e gente *MARPERGERORVM*, quae hisce nostris temporibus vel in vsus publicos, vel in priuatâ academiae commoda 10380 Imperiales per testamentum legauit, quibus partim aucta sunt salaria ad aedem O. O. S. Praepoliti, Diaconi, Custodis, Directoris musices, et Praecentorum; partim non parum locupletati fisci Stipendiorum, Conuictorii, Nosocomii et Pauperum; partim Stipendia constituta duo, alterum *Marpergerianum* 30 Imperialium Philosophicae facultatis Adiuncto, aut Magistro cuidam legenti, aut Theologiae studioso, alterum *Vaterianum*, 30 pariter Imperialium, Medici-

Medicinae Cultori, ter quaterue exsoluendum; partim binis aliis eiusdem artis studiosis mensae in Conuictorio gratuitae oblatae; partim denique honestarum Viduarum ac Pauperum afflictis rebus liberaliter prudenterque prospectum est.

Inter eas denique, quae curae cordique potissimum habuerunt, ut artis salutaris cultura in academia nostra promoveretur, agmen claudit, IOH. LOTHE ELEONORA AMALIA Comitissa Vidua de KORNFAIL et *Weinselden*, ex illustrissima stirpe Celebrissimi quondam Comitis de ZINZENDORFF et *Pottendorff*, tam orta, quam Magni Illius Viri filia. Quae, quemadmodum excellentibus animi ingeniique dotibus, et admirandis, quae matronam nobilem tam illustri stirpe natam modo exornant virtutibus, nec non insigni et infucata sane pietate ac religione erat dotata, ita, quo usque huc degerebat, plurimos sibi deuinxit et honestissima sua ac decenti consuetudine, et liberaliter omnino factis beneficiis. Postquam illa saepe obseruauerat, perpaucos esse, qui Hygieines facris se initiari cupiant, eosdemque vel a sumptibus, qui colendae Medicinae omnino maioribus sunt impendendi, vel, quo minus operam ipsi nauent, propterea experta erat abhorreret, quod, nescio qua de causa, ab aliorum stipendiorum perceptione expressis Testatorum verbis male sint exclusi artis nostrae cultores, non multum abhinc 1000. Imperiales legauit, eorumque redditus Medicinae Cultori actu studente exsoluendos nouissime decreuit. Tanto vero magis hoc nouissimum beneficium academiae incrementis e Medicorum liberalitate profectis, adnumerandum est, quod *Magnifico ac Venerabili* BOEHMERO nostro solummodo sit in acceptis referendum. Quemadmodum enim Ipse Generosissimae Matronae per plures annos tanquam medicus adstiterat, ita tantam in Eo posuerat fiduciam, ut salutaribus eius consiliis se non solum totam committeret, verum etiam a beneuolo eius nutu pendere lubenter pa-

Q4 He 3472 X2572977


teretur. Maluit vero Vir Optimus suis potius deesse propriis priuatisque commodis, quam non prodesse bono publico, atque idem sic vt tantis maclaretur academia largitionibus, solus Autor suasorque fuit.

Fuerunt praeterea aliae, de quibus facile sibi gratularetur academia accessionibus, puta, de Museo Vateriano anatomico-physico, neque minus de quadam conchyliorum, testaceorum aliorumque marinorum naturae curiosorum collectione, per supra laudatum Kretzschmarianum legatum nobis decreta, deque splendida bibliotheca philologico-medica Gesneriana, nisi dulci spe tantum lactati proh dolor! excidissemus. Interim omnes eos, quibus ad largiendum fauentior fortuna facultates concessit, hisce plagellis simul decenter rogatos volumus, vt Academiae nostrae probe memores vel bibliothecae, cui ad comparandos libros parum suppetunt angustissimi reditus, vel Museo anatomico et naturae curiosorum, vel studiosorum medicorum cohorti in posterum etiam bene cupiant.

Etenim non male locari apud nostros talia beneficia suo exemplo laudabiliter comprobat *Ornatissimus* atque *Praenobilissimus* ANTON HARTMANN, *Bohemus, medicinae studiosus acerrimus*, qui vel animi probitate, vel morum elegantia, vel doctrinarum medicarum non vulgari copia facile se omnibus commendat. Is legibus *Beneficii Vateriani* quod huc vsque percepit, satisfacturus d. XIV. a Calend. Decembr. memoriam Vaterianam recolet, praemissa Oratione qua ostensus est: *Vtramque necessariam esse Medico tam cognitionem quoad usum, quam peritium quoad collectionem vegetabilium*, ad quam beneuole audiendam BONARVM LITTERARVM FAVTORES omnes ac singulos, neque minus GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQVE COMMILITONES, omni qua par est obseruantia et humanitate inuitamus. P. P. in Academia Wittebergenſi Dom. XXII. p. Trin. c1919 cCLXXXIII.

M

VD18



OK  
224

OK 224.8

Ye  
3472

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
GEORGIVS RVDOLPHVS  
BOEHMERVS

PHIL. ET MED. DOCTOR THERAP. PROF. PVBL.  
FACULT. MEDIC. ET TOTIVS ACAD. SENIOR  
PHYS. PROV. SOCIET. OECON. LIPS.  
MEMBR. HONOR.

O R A T I O N E M

AB

ANTONIO HARTMANN

BOHEM. MED. STUDIOS.

IN

MEMORIAM BENEFICII VATERIANI

D. XVIII NOVEMBRIS

H. L. Q. C

HABENDAM

CIVIBVS ACADEMICIS

INDICIT

OK 226.

